Concio Habita Italice

A

REVERENDO PATRE

MARCO ANTONIO

De Dominis, Archiepiſcopo Spalatenſi
pſimo die dominico Adventus
Anno 1617.

Londini in Mercatorum Capella, coram Italis ibi commorantibus, & aliis honorificis in illa Synaxi & Comvent.

In verſum 12. cap.13. Epiſtolæ ad Rom.

Italice primo ab authore promulgata, & inde Anglicè, tandem à Theologiæ ſtudioſo latinitate donata.

Rom. 13. verſ. 12.

Nox præteriit, dies appropinquavit: exuamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

LEOVARDIÆ,
Apud IOANNEM STARTERUM
Bibliopolam, Anno 1618.

ILLVSTRIBVS

FRISIÆ ORDINIBVS.

EORVNDEMQVE

DEPVTATIS:

S. D.

PRODIIT ante dies aliquot magni viri MARCI ANTONII de DOMINIS, quondam Archiepiſcopi Spalatenſis concio, qua apud populares ſuos Italos in Britanniis agentes ſui transfugii calumniam repreſſit. Voluit terrarum orbi & Papiſmi pręſtigia, & ſuam innocentiam aperire, quam ne purpuratis patribus Romæ inſcriberet, ut ſolent ſapientes, ſuo ſeceſſu ad defenſorem fidei ſereniſſimum Britanniæ Regem ſe contulit. Scilicet ut in florente regno, quo religioſius

hæc ſæcula vix habuerunt, ſua libertate in ſcribendo uteretur, maxumeque à metu illius ſectæ abeſſet, quæ reformatis ingeniis præter ferrum & ignem, nullam medicinam præſcripſit. Ea cum apud Cæſarem magni viri autoritatem fregiſſet, damnatis quaſi de eccleſiaſtica Rep. libris, quos Papæ erroribus obtruſerat, diu inviſum ſuo ordini nomen inauditis Calumniîs traduxit. Adeo non ferebat illuſtrata melioribus ſtellis ingenia noſtris Eccleſiis accedere, quæ ne pari cum purpuratis modo ſacra facerent, privatâ fortunâ, quam polluto tot erroribus imperio uti maluerunt. Ita ſimulatæ pietatis faſtidia cœleſtes illos animos corripiunt quæ ubi ſemel ſuborta ſunt, excuſſo nubilo, ac priſcâ caligine innovatas divinius lumen illuſtrat. Solet enim piorum ſollicitudo nihil aliud deſiderare, quam ut miſereſcens humanæ imbecillitatis numen ſepultos quaſi in tumulis ſuis animos novâ ſed myſticâ metempſychoſi, in meliorem lucem traducat. Hoc

eſt pro-

eſt profecto verè colonias mutare, & quas à morte noſtra ſpes concepit eas in hac vita exequi.

Ita dum alii ſacra opibus, luxui, & libidini faciunt, quibus immerſa jam diu Septimontium ſuperſtitio eſt, reverendus vir quaſi nauſeâ illius correptus, & acetum ſentiens divini cujuſdam ſpiritus, ſummum ingenium quod ſimulatione quadam Romanis imperiis ſubmiſerat, erroribus hominum exemit. Cæperat eum ſatietas ſuperſtitioſi cultus, quam nec emiſſum Tarpeiâ rupe fulmen nec cucullatorum gregum ſocietas confirmato jam reduxit. Scilicet ut palam fieret id divinis Senibus, quorum conſilia jam æternitatem cogitant, curæ eſſe, ſubmovere ſe conſortiis hominum nec ad mores corruptos ſæculi reſpicere, diuturnam illam caliginem quâ huc uſque premebatur, nova quadam luce commutavit. Ita ſolet tranſitus animorum ad ſaniores cogitationes fieri, quę ſive placito divino, ſive agnata miſeris morta-

libus tarditate in extremam ſæpe ſenectutem differuntur. Sed ſatis eſt viam reſipiſcentiæ ante fatalem horam non præcidi & eam eſſe divinæ mentis gratiam ut jam fermè morientium miſereatur. Vtinam noſtris temporibus, quæ, proh dolor in omne ſchiſma prorumpunt, id obtingeret, & ad magni illius Senis exemplum factioſa multorum ingenia ſe componerent. Melius nobis & religioni conſuleretur, ſi à denſâ illâ nocte, quam hæc crepuſcula jam arguunt, ad priſtinam lucem & barbaris noſtris majoribus non conceſſam daretur regreſſus, quem differre nihil aliud eſt quam rerum indies in pejus ruentium velociſſimos motus ciere! Cogitandum ſemel eſt, jam ingruentibus extremis, de ſaniore mente, ne vulgata in noſtram perniciem hæreſium contagia dormientes ſenſus obnubilent. Præivit ad hanc rem Illuſtris & Reverendus Vir, qui ut fructum oſtenderet ſui tranſgreſſus, vocatâ ad concionem multitudine & ſuum zelum, & Romanam ſuperſti-

perſtitionem detexuit. Fecit breviter & ſpecioſe, quemadmodum Patres olim, quibus curæ fuit ſtyli potius quam argumenti facere diſpendium. Sed debetur hoc interpreti. Veſtrum eſt V. Ill. hoc ſcriptum meis impenſis ex Italico latine datum ęquo animo accipere ac me amare.

Valete. XIII. Maij. Leovard. Friſior.

Veſtra Celſit. Obſer.

IOANNES STARTERVS

Bibliopola.

SI inſtanti anni hac tempeſtate ſubtriſti, ac pigra, cum omnia mori videantur, plurimùm hominem recreet, & gaudio afficiat, diem cernere, quamvis nubilum, ac breviſſimum: multò magis delectat hunc eundem contemplari anni tempore peramœno, dum ſol in ſuo ſummo vigore eſt, ac dies longiſſimos nobis offert, In quibus negotia ſeria obire poſſimus: Verumenimverò ſi immediatè poſt noctē intempeſtam, ac tædioſam aliquam, ubi contriſtat aquarius annum, emergeret ac exoriretur nobis dies æſtivus, quem nulla nox, aut hyems, aut tœdium ullum, premeret ac interciperet, quâ animi lætitiâ ac delectatione afficeremur? Beatus Paulus poſt protractam, ac multis modis faſtidioſam noctem, cum animadvertiſſet, tum ſibi tum aliis percharis fratribus in Chriſto diem appropinquaſſe multis modis felicem, quem nulla ſequeretur nox, gratulatur eis, ac eos hac *προσφωνήσει compellat* gratulabũdus, cave hoc interim ſubnectens, nox præceſſit, dies appropinquavit. Sententiâ eadem ac gnome aptè poſſum memetipſum inſtruere, primo ſermone meo ad vos hic habito: ut ardentem animi affectum & mutuum gaudium teſtarer, tum vobis fratribus meis ex Italia, & vobis etiam honorificis auditoribus qui hic congregati eſtis ad me audiendum. Hanc provinciam in me ſuſcepi eò duntaxat quò animi lætitiam ac gaudium vobis commune exprimerem: propterea huc veni, non ut alios docerem, ſed ipſe edocerer, non ut alios inſtruerem, ſed ut alii me inſtruerent, & in rectum iter inducerent. Aggreſſus ergo hoc opus, ut multorum piorum precibus, ac petitionibus ſatisfacerem, & vos hodiè alloquerer, & σὺν θεῷ poſtea ſimili argumento, ſtatui concionandi ſimplicitatem conſuetam proſequi, & ſtili facilitatem, phaleratas & affectatas Italicarum delitiarum phraſeis inpræſentiarum omittam, enitar potius affectus animi ciere, quàm intellectui ſatisfacere.

Textum aggredier, ac dico *Nox præceſſit, dies appropinquavit*, Exuamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Integrum opus quatuor propoſitionibus brevibus, tanquam totidem articulis hujus exercitii diſpeſcam.

1. De diverſis myſticis, ac ſpiritualibus noctibus quæ dicuntur præteriiſſe.

 2. De

2. De diverſis diebus noctibus illis oppoſitis.
3. De exuendis tenebris.
4. De induenda luce.

PRiuſquam tractatũ ſeorſim aggreſſi fuerimus, ſupplices precibus ardentibus humiliemus nos coram throno Majeſtatis Divinæ, humillime deprecantes cæleſtem patrem: I. ut oculos Miſericordiæ ſuæ exerat & oſtendat ergà catholicam eccleſiam ac etiam ut velit Spiritu ſuo omnes eccleſias Chriſtianas unire in ſola vera, pura ac ſancta fide, in charitate conjungere ac ſtabilire, diſſidia ac ſchiſmata exſtinguere, diſcordiam tollere, corda alioqui dura emollire, ut pertinaciam exuant, προσωποληψίαν rejiciant, & ſuas machinationes: ut obſtacula ac impedimenta quæcunque removeant quæ impediant unionem hanc. Oremus pro Chriſtianis, primò ut Deus elargiatur Zelum ardentem, quò catholicam reformationem procurent, & unionem hanc propugnent.

Præſertim oremus pro ſereniſsima magnæ Britanniæ Majeſtate vero fidei defenſore antiquæ, puræ, ſanctæ, & catholicæ, & Apoſtolicæ, ut in manu ſuâ ejus cor teneat, continuò flectat ac componat ad ejus cultũ & ad incrementum & perfectionem bonorũ quorumcumque, tum ſpiritualium ac temporalium florentiſsimi ejus regni: ut vitam longævam ac proſperam tribuat, & tandem Satanam ac omnes hoſtes ſub pedibus conculcet: omni benedictione ſereniſsimam reginam complectatur. Nobiliſsimum principem Carolum tenera hac ætate gratia ſua inſtruat, quæ maxime tenax eorum, quæ à pueritia hauſerit: infunde ô Deus nominis tui timorem, pietatis Zelum, ac relligionis, ut veras, ſolidas, ac regias patris virtutes exprimat. Pariter oramus pro illuſtriſsimo Electore Comite Palatino Frederico, & D. Elizabetha, ut beatæ propaginis felices ac feraces parentes faciat. Oramus pro Inclyta Venetorum republica, ut Deus eos liberet ab omnibus hoſtibus, ac in plena libertate eos conſervet: illuminet Deus mentem Senatorum, prudentium, ac gravium, intellectum conferat eis Deus ut ſciant, & fortitudinem, ut exequantur quæcunque poſſunt facere ad propagationem gloriæ, cultus ac relligionis. Oramus pro honoratiſsimis, conſulibus, gubernatoribus, ac magiſtratibus hujus regni quibuſcunque, ut Deus abundè ſpiritum ſuum in eos effundat, quò benè regant, & inſerviant bono hujus populi. Oremus pro Epiſcopis omnibus, preſbyteris, ac miniſtris Catholicæ hujus Eccleſiæ

Eccleſiæ. præcipuè pro eis qui res Eccleſiaſticas tractant in his regnis, ut officium Deo præſtent & veræ Eccleſiæ, ſincerè ac rotundè. Oremus pro omni nobilitate hujus Regni. ut Deus eos conſervet in debito obſequio, ac defendat erga ſe, & regem, & ſemper corda incline ac diſponat, ad bonum & pia opera. Oramus etiam pro toto populo, ut Deus omni benedictione tam ſpirituali ac temporali benedicat. Vltimò oremus Deum ut gratiam elargiatur mihi, in explicatione verbi ejus: ut ipſe intus ſpiritualem fructum ſentiam ac percipiam, & aliis honorificis auditoribus parem exhibeam: ut omnia hæc impetremus ſupplices ac humiles, orationem quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus nos docuit, dicamus. Pater noſter.

NOn minùs illuminatus quàm Chriſto dilectus diſcipulus D. Iohannes Apoſtolus Euangeliſta ac Propheta, animo ſtatuens epitomen ac ſummam doctrinæ Euangelicæ complecti, & ſcopum ac metam, ad quem tendit ac collimat omnis concio Euangelica, duabus propoſitionibus connexis inhæret, ſed relatione contrariorum, una affirmativa, altera negativa, utraque Deum reſpicit: antequam eas proponit, priori epiſtola eleganti ac continuo tropo exornat, tanquam paraſceve ad ſequentia. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris quod ſpectavimus, & manus noſtræ quod contractaverunt de verbo vitæ vita manifeſta eſt & vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam illam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis.* Non hiſce verbis contentus, & magno hoc apparatu verborum iterum inculcat, & ait, *quod vidimus, quod audivimus, manifeſtamus vobis, ut vos nobiſcum habeatis communionem, & noſtra communio eſt cum patre & filio.* Commemoratione ingentis hujus beneficii ubi nos excitaſſet nimirum, quod ad communionem ſanctorum Apoſtolorum vocemur, amplectendo hoc quod nobis propoſuit, tandem dicat, quid hoc ſit, quod momenti ſit, quod erat ab initio, hoc eſt ultra omnem æternitatem: quod D. Apoſtoli audiverunt, & manibus contrectarunt, quod nos ad vitam æternam adduceret, & quod debebant prædicare toti mundo: dicat ac uno verbo aperiat, audiemus. *Hæc eſt annunciatio, & manifeſtamus vobis.* Benè Beate Iohannes præſto & parati ſumus ut audiamus, admirabile & ſpiritualem annunciationem & legationem pluribus explica *quod audiviſti & didiciſti ac accepiſti, doce nos.* Ecce paucis ſequitur. *quoniam Deus lux eſt & in eo non ſunt tenebræ ullæ.* Ecce hæc ſumma & eſſentia fidei no-

ſtræ, quod nimirum Deus lux ſit abſque tenebris. Salus ergo noſtra in hoc conſiſtit, ut amplectamur lucem hanc, & expellamus tenebras. *Deus lux eſt.* Si Deus lux ſit, quid miri, ſi in communicanda luce ſeipſum delectet. Λογὸς ἐνδιάθετος quem Deus ab æternitate omni produxit, verbum primum in ſeipſo nihil aliud erat præter ſubſtantiam, æternum verbum, Filius unigenitus, quem ſcimus lumen de ſuo lumine. *Lux vera quæ illuminat.* Primum Dei verbum, quod protulit ex ſeipſo, poſt ſilentii æternitatem, erat *fiat lux.* lux creatura ita dilecta creatori, ut placuerit ei conferre hanc qualitatem cęleſtibus corporibus tanquam ſufficiens dotale: quæ nobiliſſimæ creaturæ, & evectæ ad ſummam dignitatem ſupra ordinem omnium ſenſibilium ſubſtantiarum duntaxat competit. Sed præterea animadverte, quàm placeat Deo lux, & tenebris offendatur & adverſetur? Ecce non paſſus recentem hunc mundum & machinam à ſe fabricatam abſq; luce ſubſiſtere, ne primis quidem tribus creationis: Geneſ. 1. Sol & Luna duo magna luminaria, ſimul etiam cum minoribus illis luminibus ſtellarum creata ſunt quarto die: attamen, quia interim tenebræ erant ſupra faciem abyſſi, in prima diſtinctione rerum è confuſa maſſa, Deus tanquam inimicus tenebris dixit *fiat lux & erat lux.* Lux primogenitum omnium creaturarum viſibilium, lux quæ contrariam qualitatem poſitivam non habet in rerum natura, lux quæ omnibus ſeſe communicat, & omnia hactenus manifeſtat. Lux penetrans omnia corpora diaphana, quamvis ſolida. Lux oculorum gaudium, & ſolamen cordis uniuſcujuſque mæſti. *quale gaudium mihi quum tenebris ſedeo, & lumen cæli non video.* dixit bonus ille ſenex Tobias cæcus. Lux quæ ſeipſum momento transfundit, lux quæ infici non poteſt, ex tactu rerum impurarum: Lux, vitam tribuens omnibus coloribus, & dat eis actu eſſe: lux mater omnis pulchritudinis & ornatuum mundi hujus ſenſibilis. Iris egregiam ſpęciem præbet tot variis & amœnis coloribus ornata ac diſtincta: quæ revera nihil aliud eſt, niſi Solis lux nubibus humidis repercuſſa, & mixtione pluris, minoriſve opacitatis reducta ad hujuſmodi diverſitatem colorum, & in univerſum omnes colores qui pulchritudine ſua illuſtrant optima quæque corpora viſibilia,

ſibilia, & oculos amœnitate & delectatione perſtringunt, quid ſunt, niſi elementorum alioqui lucidorum miſtiones, tam obſcuræ, ut concludam ſimilitudine quadam & analogia, & participatione lux cenſeri poteſt divinum quid, cum Deus *lux ſit & in eo non ſint tenebræ.* Ac propterea ubi Deus lucem creavit, Spiritus teſtatur per Apoſtolum, *Deus vidit lucem, & erat bona* & diviſit lucem à tenebris. Vbi finiviſſet uniuſcujuſque diei opus, Scriptura hanc annectit clauſulam *& vidit Deus quod eſſet bonum.* Sed in opere primi diei, qui tantum in creatione lucis impendebatur, ſeorſim annectit & vidit Deus lucem quod eſſet bona. Quod ad tenebras, quæ lucem per vices comitatur ad introductionem noctis: ſequitur tamen Dei ſeparatio, ac utriuſque nominatio, diviſit Deus & vocavit Deus. Sed hiſce non annectit *Scriptura*, quod Deus viderit quod eſſet bonum: quoniam (ita Auguſtinus argutè & ſubtiliter affert) Deus, quaſi lucem diligens ſpeciatim, ac odio tenebras habens luci duntaxat hoc encomium ac approbationem tribuit, *quod erat bona.* Sed de die & nocte conjunctim, nullum hujuſmodi encomiũ, ne nocti ac tenebris boni propagationem aſcriberet. Ratio perſpicua eſt, quoniam *Deus lux, & in eo non ſunt tenebræ,* & hic eſt qui habitat in luce illa, ad quam *nemo poteſt accedere.*

Auguſt. ad Geneſ. ad lit. cap. 17.

Optimè ergo potuit Apoſtolus inſtituere argumentum gaudii cum fidelibus ſub metaphora lucis, tenebrarum, diei & noctis; *Nox præceſſit, dies appropinquavit*; Euangelium, & lætum hoc nuncium inculcans, poſt longam & tenebricoſam, & tœdioſam noctem exactam, diem jucundum, lætum, & peramœnum, derepente emerſiſſe ac illuxiſſe. Procopius ſcribit, propè polum, ubi ad multos menſes noctes durant, incolas ad finem noctis illius, quando Sol rurſus eis apparet, ſolitos excelſos montes aſcendere, enixè contendentes optatiſſimam creaturam videre: neque citius eum intuentur, quam ſeſe exornatint, dicentes, ecce Sol Sol apparet nobis, atque ita ſe invicem imitari, feſtoſque dies celebrare. Atque hæc omnia agunt quia ſolem hunc viſibilem cernunt. Ad aliud feſtum, & gaudium Apoſtolus nos incitat & invitat. myſtico enim & ſpirituali ſenſu proclamat nobis: *Præteriit nox, & dies adeſt.* quod nobis exſignat & proponit

miſerias

miſerias ac calamitates perpetuò tremendæ ac horrendæ noctis quæ præteriit, & felicitatem longi illius diei ac felicis, quem nobis Sol ille confert neſcius occidere.

Nox præceſſit. Tria genera noctis à D. Paulo hic intelliguntur quas lætatur præteriiſſe. Primum, Ignorantiæ. Secundum, peccati. Tertium, negligentiæ. Hiſce noſtri habito reſpectu & temporum in quo vivimus, quartam addam errorum noctem. Atque harum duæ priores fidem præcedunt. I. Nox ignorantiæ occæcantis, & peccati dominantis & tyrannizantis: Duo alia fidem ſubſequuntur, nimirum ignorantiæ ſtupidæ, & erroris inquinantis.

Sæpius legiſtis, & multi ex vobis perpendêre, phraſim ſcripturæ meram, in diſtinctione ſex dierum creationis. Et *Veſperi ac Mane factus primus dies.* Vnuſquiſque dies ſuam habet noctem, dies præcedit, nox ſubſequitur, nam parat viam veſperi. Certe hoc requirebat Natura ut habitus privationem præcederet: ac proinde non poſſum percipere quorſum Ariſtoteles ſeipſum ita turbaverit, totamque philoſophiam naturalem, dum poſt materiam ac formam, privationem tanquam tertium principium corporum naturalium introduxit, ni forſan intellexerit ita, omne genitum tranſire aut viam ſternere à non eſſe ad eſſe. Sed ſi ita hoc eſſet, potius negatio quàm privatio dici debebat: aut privatione forſan philoſophus voluit nobis naturalem diſpoſitionem materiæ ad formam novam recipiendam, qui appetitus impropriè dicitur privatio, ſignificare.

Quod ad textum *factum Veſpere* & *Mane*, ſufficit nobis phraſim hanc extraordinariam eſſe, & myſterium notare. Parerem faſtidium ſi omnes opiniones recenſerem patrum in hæc verba. Quantum ad rem facit, non dubito, Deum Optimum Maximum propoſuiſſe ſibi hominem facere duntaxat diurnum, & nullo modo participem noctis; quippe enim juſtum eum creaverat ac rectum, & inſtuctum talibus donis, quibus potuit ſi voluiſſet tam ſibi ac poſteris æternum & perpetuum diem ſpiritualem, quem nulla nox premeret aut ſubſequeretur continuaſſe: Sed Deus (cum animadvertiſſet, calamitoſum ac miſerum hunc hominem, poſt paucos dies à creatione defecturum à luce, & ſemetipſum præcipitaturum in tenebras) ejus miſertus eſt, in conſilio ſuo, quod vocat Apoſtolus ὡρισμένην βουλὴν, remedium paravit, filium nimirum ſuum tanquam λύτρον ac pretium redemptionis, qui vera lux eſt & Sol juſtitiæ, qui è tenebris eos vindicaret & nocte. Ac propterea impensè gaudeo, & exultat cor

meum.

meam,tamen perpendo ac meditor quomodo Deus propoſuerit (præter commentaria alia myſtica) ut myſteriū occultum adumbraret, ſcripturam in deſcriptione initii hujus mūdi ita loquentem *factum eſt veſpere & mane.* I. Innuens ac denotans per veſperam miſeriam humanam, & per mane diem redemptionis inſecuturæ: quoad enim ſtatum primum integritatis ac lucis perbrevis fuit, ut nomine diei in hoc genere vocari non debeat, atq; Apoſtolus Paulus non diſſentiens à theoria & contēplatione noſtra, exultat *noctē præteriiſſe, & diē hunc appropinquaſſe*: dicens *nox præceſſit, dies autē appropinquavit.*

Per primam noctem, Ignorantiam nempe, intelligo, vel exiguam, aut pertenuem notitiam eorū, quę Deum reſpiciunt. Sed hic objici poteſt, ſi hanc epiſtolā duntaxat ad gentes conſcripſit, qui converſi erant, bene potuit intelligere eos per diem hunc ignorantiæ; ſed ſcribens ad Iudæos Romæ converſos ad fidem, videtur intelligendum eos non vixiſſe in tenebris, & in nocte ignorantiæ. *Nam notus Deus in Iudæa, Iuda erat ſanctuarium, & Iſrael dominium.* Quod tenebræ illæ in Ægypto per totam terram palpabiles notabant, ſed in terra Goſen, ubi filii Iſraelis commorabantur clara lux fuit. Propheta Eſaias, duntaxat de gentibus loquitur, cum ait, populus qui ſedebat in tenebris, magnam lucem vidit, & in umbra mortis exorta lux. Iudæi habebant legem & Prophetas. Eis autem (ut teſtatur Apoſtolus) oracula committebantur, tamen cum D. Paulus non ita diſtinguat inter Iudæos & gentes, ſed expreſsè ait, *Euangelium potentia Dei ad ſalutem omni credenti Iudæo primum deinde Græco: revelatur enim Dei juſtitia de fide in fidem.* Proponit ergo tum gentes ac Iudæos, per Euangelium duntaxat ad veram Dei notitiam perveniſſe. Euangelium ergo cum Dies ſit & lux hæc, *Nox præceſſit,* non duntaxat gentibus, verum etiam Iudæis. Si enim animadverterimus ſcientiam, quam habebant tunc temporis Iudæi, vel quæ erat inter gentes ante adventum Chriſti, tum reſpectu Dei ejuſque cognitionis, & rerum ſpiritualium exigua fuit, & rara: ac propterea merito nox dici potuit, reſpectu Euangelii, & hujus diei tam perſpicui. Quoad legem, quis non novit umbram futurorum fuiſſe, ut D. Paulus vocat, ſi umbra, particeps erat naturæ noctis. In

Pſal. 76. 1. 114. 2.
Exod. 10.
Cap. 3.
Rom. 1.

 veteri

veteri teſtamento myſterium trinitatis obſcure innuitur, quoad incarnationē, quod ſi Iudæi rectè percepiſſent, ac intellexiſſent, non ſeſe oppoſuiſſent Chriſto: quia ergo tum Iudæi ac gentes infirmi erant ante adventum Chriſti, & deſtituebantur vera Dei cognitione, D. Paulus utriſque dicit *nox præceſſit*. Propheta Eſaias prædicit, Euangeliſta confirmat, quænam eſſet menſura cognitionis Dei inter Iudæos & gentes, cum Chriſtus in carnem veniret *quaſſam arundinem non franget, & fumigans linum non exſtinguet*. Chriſtus Servator offendit Iudæam quaſſam arundinem, qua notatur (ſecundum commentarium Hieronimi popularis mei) Iudæos tunc temporis non ita ſolidè in propaganda gloria, & veritate inquirenda fuiſſe occupatos, ut prius fuere. Et revera tunc populus (quemadmodum hodie multo pejores) ducebantur potius mirificè, ac regebantur traditionibus Rabbinorum ineptorum, quam ſacra ſcriptura. Vnde eſt quod Salvator eos redarguat, quare traditionibus veſtris ſcripturas tranſgredimini? hoc idē nunc inter pontificios invenire eſt; majoris momenti apud eos Papæ authoritas quam Dei, adulterium reputant pro re levi & elati animi argumento: at ſi quiſpiam carnem comederit die Veneris continuo argumentum à faſciculis, damnatur ad ignem, & pro ſacrilego habetur. Quod ad gentes, Chriſtus invenit eos ut fumigans linum non plane exſtinctum, ſed quodammodo fumigans, propter exilem & tenuem cognitionem dei, quam coruſcationem lux naturæ contulit.

Ergo ut concludam, catholica univerſalis & communis nox, tam Iudæis ac gentibus incūbebat. Quin etſi Zacharias Johannis Baptiſtæ pater non agnoviſſet nocturnas tenebras, in quibus tum ipſe ac reliqui hæſere, nequaquam ceciniſſet, *diem exortum ab alto ut lucem præberet eis qui erant in tenebris, & umbra mortis, & ut pedes noſtros dirigeret in via pacis* Certè
Iob. 36. 32. quod legimus in libro Iob tam benè intelligi poteſt de Iudaiſmo quàm de gentiliſmo. *Hoc eſt in manibus abſcondit lucem, & præcepit ei ut rurſus adveniret*. Quibus intelligere poſſumus, Deum ante miſſionem filii ſui in carnem, tenuiſſe apud ſe quaſi manu ſua lucem comprehenſam veram cognitionis de Deo, quamvis ſcintillantes ac coruſcantes radii

aliqui

aliqui per digitorum interſtitia emicuerint, plenariam tamē manifeſtationem ſibi reſervavit in temporis plenitudinem, tunc juſſit lucem rurſus advenire, ut eo tempore rediret, cum Apoſtolus Paulus brevi proclamaturus erat, *Nox præceſſit.*

Sed ſi per hanc noctem, univerſales infidelitatis tenebras intelligere velimus, dicendum Apoſtolum non intelligere tempora elapſa ante Chriſti epochen & incarnationem, ſed potius ipſum tempus quo Chriſtus in carne vixit ſupra terram, cum Euangeliũ publicaretur ab Apoſtolis. Vno verbo, ille ſtatus intelligēdus, in quo Chriſtiani illi qui Romæ erant (tam Iudæi ac gentes) fuērunt immediatè ante converſionem nimirum in perpetua nocte tenebrarum. Qui erant tum gentes Romæ, & ubiq; terrarũ niſi Idololatræ? quod ad Iudæos, qui tum crucifixerant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Salvatorem, numquid Meſſiam repudiarunt? cordibus eorum nonne velum prætendebatur? quæ major infidelitas quàm Chriſtum non recepiſſe? immo perſequi eum in membris? In hac Apoſtolus Paulus ſeipſum reputabat, & meritò, teſtificatur enim de ſeipſo, *fuiſſe ſe blaſphemum & perſecutorem, Eccleſiam Chriſti perſecutum ultra modum ac vaſtaſſe.* Ex maſſa occœcata, & obdurata Iudæorum, promanarunt reliqui, qui Chriſtianam relligionem amplexi ſunt: ac proindè meritò tam de ſe ac reliquis Iudæis ac aliis dixit Paulus, nox præceſſit, nobis & præſertim mihi nox præteriit.

1. Corinth. 3.

1. Timot. 1.

Gal. 1.

Altera nox de qua loquitur Apoſtolus, eſt nox in quâ regnabat peccatum, & nox tam Iudæis ac gentibus communis: quam horrenda & turpia gentium peccata fuerint Romæ præcipuè, videre eſt ac legere in catalogo deteſtando, ubi hæc ſeorſim enumerantur vitia. *Quare dedit eos Deus in reprobum ſenſum, in deſideria cordis eorum, ad dedecore afficiendum corpora eorum in ſemetipſis, qui commutarunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt ac ſervierunt creaturæ; quapropter tradidit eos Deus ad paſſiones ignominiæ in deteſtanda peccata ut facerent non convenientia naturæ, repleti omni injuſtitia, fornicatione, nequitia, avaritia, malignitate, ſuſurrones, odio pleni, contumelioſi, obtrectatores, immiſericordes, inventores malorum, parentibus immorigeri abſque intelligentia, fœdifragi, abſque naturali affectione, &c.* Certè Paulus vel per ſpiritum prophetiæ enormia peccata &

vltia Rominenſium deſcripſit ut nunc ſe habent: vel Romā quemadmodum nunc, & quibuſdam ſeculis elapſis, enixa ac in ſe ſuſcepit omni-modo ethnicæ illi perſimilem eſſe, quemadmodū fuit Pauli ætate, impietates novę Romæ nullo penicillo melius depingi poterant, & ad vivum & graphicè exprimi, quam ita ut Apoſtolus delineavit, & particulariter oſtendit. O horrenda nox, ô tenebræ craſſæ & palpabiles; ô cæcitas intolerabilis; certè hujuſmodi impietates ac impuritates evincunt ac includunt, primam noctem ibi hærere, nimirum defectum cognitionis Dei. Peccata enim hęc tam enormia gentibus propria ſunt, quemadmodum idem Apoſtolus teſtatur. *Sicut & gentes, qui Deum non norunt, non ambuletis, ſicut & gentes in vanitate mentis, habentes mentem obſcuratam, alienam à Dei vita, ex ignorantia quæ in ipſis, propter obdurationem cordis, devoventes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, ad operationem immunditiæ cum exceſſu.*

Profectò hujuſmodi vita ac mores, quæ obvia & frequens eſt in aula Romana (bonos tamen qui ibi latent excipio) arguunt ac concludunt, ſecundum Apoſtoli prædictionem, Dei notitiam, & ſpem vitæ æternæ nullam poſſe inter eos inveniri. *Edamus, bibamus, cras moriemur.* Illi tamen prę reliquis debent mentis oculos aperire: ac bonis moribus ſtudere ac proinde his ex gentilibus Chriſtianis factis *Nox præceſſit*: horrendorum flagitiorum nox præceſsit. Non tamen poſiti erant Iudæi extra umbram hujus noctis. *Qui alios*
Rom. 2. *doces, teipſum non doces. qui doces non committendum furtum, cur furaris? Non committendum adulterium, undique committis adulterium: qui deteſtaris Idola, ſacrilegium admittis, qui jactas de lege per tranſgreſſionem Deum opprobrio afficis, nomen*
Rom. 1. *enim Domini blaſphematur inter gentes propter vos. Nullum diſcrimen, omnes peccarunt, & deſtituti ſunt gloria Dei.* Omnes ergo teterrimorum peccatorum nocti & tenebris involvebantur. *Probamus tam Iudæos ac gentes omnes ſub peccato, quemadmodum ſcriptum, omnes deflexere, omnes inutiles facti ſunt,* nemo qui bonum operatur, ne unus quidem.

Quid ergò eſt nox? abſentia Solis: quid niſi peccatum
Sap. 1. ex animis noſtris Solem juſtitiæ expellit. *In malevolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in copore ſubdito pec-*

catiſ.

catis. Quid eſt nox? umbra terræ interpoſitæ inter nos & ſolem. Ecquid aliud peccatū? Opacum & craſſum impedimentum intercipiens inviſibilis ſolis radios, ne ad nos penetrent, *Transgreſſiones veſtræ obicem ſeu diviſionem fecere inter vos & Deum, & peccata veſtra vultum meum abſconderunt à vobis?* Eſ. 59. 2.
Quid nox? incommodum viatoribus tempus, niſi quibus delirare, & ſeſe in præcipitia dare animus eſt? Quid aliud peccatum, quum aberrare à via, quæ ducit nos cœlum verſus, et in barathrum facilis deſcenſus. *Dimiſit eos Deus ſecundum deſideria cordis ipſorum, ibant in adinventionibus ſuis. Improbus cum in profundum venerit peccatorum contemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.* De hac nocte etiam Apoſtolus loquitur. *Præteriit nox:* Mundati enim erant nunc & purificati ab omni iniquitate, & membra mortificata erant; ut patebit infra, ubi loquar de diebus noctibus oppoſitis. Pſalm. 81. 13. Proverbiorum. 18. 3. Pſal. 18. 3.

Tertia nox, quam Apoſtolus Paulus intelligebat, negligentiæ nox erat ac ſtuporis. Immò præcipuè hanc reſpexiſſe videtur, cum Romanos ipſos alloquatur, ad fidem converſos, quorum fidem toti mundo innotuiſſe ait: erant extra noctem infidelitatis, de quibus prius dixit: *Gratis juſtificatos ex gratia Dei,* per redemptionem in Chriſto, per fidem in ſanguine ejus, ut manifeſtaret ejus juſtitiam in remiſſione peccatorum. juſtificatos ergo, & extra noctem peccati Apoſtolus tamen dicit hoc capite illos dormire, ac propterea in genere quodam noctis, quamvis priores duas noctes exegiſſent; de quibus diximus. Et de tertia ſenſus Apoſtoli, nondum præteriiſſe omninò, ſed exhortatur eos ut enitantur ac ſtudeant ſomnium hoc excutere, & profligare hanc noctem etiam, quemadmodum, priores duas noctes per Dei gratiam exegerant ignorantiæ ac peccati: Vrget ergo ac pungit eos, ut ſeipſos excitent, & ſocordiam ac ſegnitiem ſpiritualem deponant ac exuant, & invigilent rebus, quæ ad ſalutem pertinent. At hæc nox magis perſpicua erit, ubi mentionem fecerimus de die oppoſito. Rom. 3. 24.

Aggredior ergo quartam noctem, de qua nocte Deus ex infinita miſericordia nos eripuit hoc ſeculo tam iniquo, de qua cum Apoſtolo Paulo loqui poſſum, cum meipſum video, & vos fratres ex Italia, quibus Deus ſua luce illuxit.

Nox præceſſit. Propterea gratulor, non ut aliis inſultem, aut in nobis ſuperbè nimis gloriemur, ſed gratias debitas Deo noſtro perſoluamus, & affectus excitemus, ut fratrum miſereamur, qui adhuc in magno diſcrimine verſantur, latitantium in profunda atque obſcura nocte multorum errorum, quamvis fidem Chriſtianam profiteantur. Certè tantò periculoſior nox illa, quantò arbitrantur miſeri illi ſeſe duntaxat luce illa frui, & ſomniant alios quoſcunque qui ab eorum partibus non ſtant, in tenebris hærere. Et dicunt
Eſa. 5. bonum malum, tenebras lucem putant, & contra.

Cant. 6. 3. Eccleſia nuncupatur *Caſtrorum acies ordinata*. Et revera vita
Iob. 7. hominis eſt militia ſupra terrā, ſed militia hæc Eccleſiæ, & valida hæc acies meo quidem judicio, melius claſſi navali comparari poteſt, quàm aciei inſtructæ in terra.

Proverbiorum 32. 24. Servator Chriſtus in navi ad vivum expreſsit Eccleſiam, quemadmodum concinnè & eleganter patres ſcripſere. Claſſem Chriſtus habet pluribus navibus inſtructam, hoc eſt, collectionem multarum Eccleſiarum alioqui particularium, quarum caput, ac imperator eſt Chriſtus. Adverſus claſſem hanc in mare hujus mundi palàm inſtruuntur aliæ naves ſub ductu & auſpiciis Diaboli: turba nim. ac caterva Satanicorum ſchiſmatum & ſectarum, ſuperſtitioſorum, infidelium Chriſto ac ejus regno adverſantium. In hac, quod cor angit & pungit, animadverto naves ſub eodem duce ac Imperatore Servatore Ieſu Chriſto, invicem ſeſe lacerare, majori odio ac invidia, quàm naves hoſtiū & antagoniſtarum. Romana Eccleſia & qui in ejus caſtris militant odio plus quàm vatiniano & læthali reformatam Eccleſiam proſequuntur. Reformatæ eam etiam odere. Libenter, auditores, in errore hoc tam magno & inſigni quod rectū edocere velim, modo arbitremini reformatam Eccleſiā ſive relligionē omnino diſtinctam à Romana. Vtraque relligio in præcipuis eſſentialibus ac fundamentalibus eadem, utraque Chriſtum habent pro Domino ac Mediatore; utraque idem Baptiſma: ſed ut ſtatum utriuſque Eccleſiæ probè teneamus, ſtatui inhærere allegoriæ de navibus ac navigatione: iter Eccleſiæ militantis eſt velificatio perpetua in oceano hujus mundi, inter

latentia ſaxa, gurgites, Syrteis & Charybdin, ubi neque littus aut terra conſpici poteſt, peregrinamur hic in fide, & contendimus res ſpirituales apprehendere & inviſibiles, *fide intendimus & non per aſpectum, per ſpeculum cernimus: ſed tunc videbimus de facie ad faciem: non viſibilia expectamus, ſed inviſibilia, quæ enim videntur temporalia ſunt, ſed quæ non videntur æterna.* 1. Corinth. 5. 7. 1. Corinth. 13. 12. 2. Corinth. 4. 18.
Et navigatio quam exercet militans Eccleſia, ad ſpiritualia tendit, quæ non videntur. Et profectò in velificatione ut navigationē rectè quis inſtituat, neceſſe eſt, ut probè & exactè calleat uſum pixidis nauticæ, acū habeat magnetis benè tactam, chartam ſive mappam juſtè diſtinctam, ac ſituationem rectè poſitam. Qui abſque his audet ſeſe infido pelago concredere, vel adulteratā pixide, aut mappa, in profundo errat, & in tenebris, ut dicitur micat, vagaturque tanquam in media nocte, quamvis ſolem videat in meridie: è contra quibus vera pixis eſt, quamvis naviget in maris profundo, & nocte, tamen fruitur die, & tuto navigat & parat iter ſibi quocunque voluerit. Diſcrimen Romanenſium navium ac reformatarum, non eſt in fundo, aut in rudentibus, ſed duntaxat in pixide. Romana hæc navis, vas ſatis probum benè ædificatum, non putre, neque in fragmenta & fruſta defluens; apprimè inſtructa malis, funibus ac rudentibus, ac anchoris. Luculentam mappam hydrographicam habet, vectores, ac milites omnes pariter ſub eodem vexillo ſunt eundemque imperatorem, ſolum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum habent. Atque nullum diſcrimen inter hanc navem & reformatam. Vnicam tamen differentiam præcipuā animadverto: ex qua naſcuntur & oriuntur quamplurimæ, & alia diſſentanea ac pugnātia, nimirum, gubernatorē navis qui clavum tenet Romanæ navis repudiaſſe ordinariam pixidem & reliquiſſe praxin & uſum mappæ hydrographicæ, & receptæ, unde eſt quod vertigine quadam, è ſuo cerebro novam chartam procuderit, & pixidem ſibi duntaxat propriam, falſam, & ineptam effinxerit, quæ polum nequaquam intuetur & cujus ſingula magnete infecta non eſt. Quin & ſuo marte, & induſtria, cardinales quoſdam ventos produxit, qui iſti ſolùm chartæ inſerviunt: quod pejus eſt, uſurpavit poſſeſsionem, ac ſeipſum intruſit, & vi uſurpavit guber-

nationem

nationem clavorum navium; quæ velificationem inſtituebant cum eo: atq; etiam uſum magnetis ab unoquoq; abſtulit, nautas feriens ac conculcans, (qui alias bene omnia gererent, & ſedulo officia obirent) nullam patitur repulſam, ita ut omnia dicto habeat obſequentes, & qui ad nutum componant ſeſe, & quia genuina & vera pixide deſtituuntur, ac charta, præcipites agit, ut jacturam aut naufragium tandem faciant. Continuò enim & alacriter eum inſequuntur abſque luce per ſpiſſas tenebras, ut allegoriam explicem, uno verbo aſſero, Epiſcopum Romanum nunc, & retrò ſeculis multis, contemnentem navigantiũ veram chartam hydrographicam, ſacras ſcripturas, & polum immotum, qui cælum ac ſpiritualia intuetur, unicum portum ob oculos habuiſſe, dignitatẽ ſuam ac pompam mundanam, in adulterina pixide quatuor ventos diſtinxit falſos, qui ſpirant duntaxat verſus ſuum portum: Hi cenſentur venti, hierarchia & merum imperium in omnes Eccleſias, dominium in claves, judicii infallibilitas, & authoritas in temporalibus, immo in principes: quoad miſeros vectores & milites gregarios quos vehit, ſecreto tenet ac abſcondit ſub tabulatis, in vagis illis & errantibus navibus, ut eos ſuſpenſos teneat & alliciat, annectit & affingit mappæ huic falſæ ventos falſos & adulterinos, quos rubentibus ac vivis & aureis literis ſignat ac notat: nimirum noſtrorum & aliorum meritorum, invocationis ſanctorum, idololatriæ & cultus relligioſi imaginum, theſauri indulgentiarum, miſſarum efficaciæ ac energias, abſolutionum presbyterialium, *agni Dei*, Sphærularum horariarum conſecratarum, aquæ luſtralis. hiſce ac hujuſmodi ventis, quos nunquam reperire poteſt quiſpiam in vera ac genuina, & antiqua pixide Scripturarum, de quibus planè nihil legi apud Naucleros primitivæ Eccleſiæ; hac aura & vento vult aſſeclas ſuos navigare: quibus præcipites feruntur in abſurda & errores quamplurimos magni momenti. Origo & cauſa totius mali eſt Anti-nauclerus, ſi enim removeri poſſit, aut ullo pacto perſuaderi ut prodrogioſam & horrendam pixidem deſereret alioqui chimericã, & omnino ſequeretur conſuetum ac veterem ac ordinarium ducem, ſcripturas tanquam cynoſuram. continuò efficos ac adulterinos ventos delens ac obliterans, profectò armata hæc claſſis probè inſtructa catholicæ Eccleſiæ facile ac nullo negotio in rectum iter deduceretur, ac viam ſecuram ac tutam teneret, (quemadmodum ſynaxeis & conventus reformatorum præſtitère) ad portum tandem æternæ beatitudinis appelleret. Verum eſt reformatas Eccleſias, quandoq; ductu

erroneo

erroneo occæcatas, ſecutas falſam & deceptricem pixidem tandem rediiſſe ad meliorem mentem, & expulſo, & abjecto peregrino illo Nauclero, qui arripuit & uſurpavit jus illud, naves ſuas ultro obtuliſſe regendas propriis Naucleris, quales Deus ipſe conſtituit ac præfecit, & ita chartam ſcripturæ Sacræ infallibilem ſequentes, & veram pixidem in quatuor ventos cardinales diſtinctam ac notatam; nimirum quatuor conciliorum œcumenicorum univerſalium, quibus ſubalternantur collaterales ac ſubordinati Sanctorum Patrum, felicem faciunt velificationem, ac tandē ad exoptatum portum ſalutis pertingunt tutum inſiſtentes iter abſque errore. Atque hæc nox miſera multorum errorum, in qua, quod dolendum, plurimi occæcari ſe patiuntur, & in æternum ſoporem conjici, ex qua eripuit vos omnipotens ille manu forti ac proinde ingentes gratias imo corde ſolvamus, *Noctem nimirum prateriiſſe.* Si hic exſpatiarer, ac immorarer, ac perpenderem efficta flabra, ut omnes errores explicem particulares: quæ noctem hanc atram ac nubilam conſtituunt, præcipitarem memetipſum in chaos confuſum, è quo facile memet ad multos dies non liberarem, multò minus exiguo hoc ſpatio conceſſo mihi: attamen non poſſum non attingere quædam ex præcipuis, & maximè communibus, ex quibus tanquam è radice errores omnes particulares enaſcuntur.

Plurimum conducit Pontifici, ut dignitatem propugnet ac hierarchiam falſam & efficta m, nimirum quod œcumenicus pontifex, & univerſalis vicarius Chriſti, populum denſiſſimis ignorantiæ tenebris involuerit ac cęcitati. In hanc rem facit articulus ille præcipuus quem jubet doceri in omnibus Eccleſiis ſibi ſubditis: nimirum ſufficere fidē implicitam ad ſalutem animarum: atque ita omnia vera arbitratur & credit quæcunque Sancta Eccleſia catholica credit ac propugnat. Ac proinde ſternit ſibi viam pontifex, ut popello perſuadeat hactenus authoritate ejus effaſcinato & occæcato, ut credant & amplexentur quæcunque imperat in ſuum commodum, ac etiam pro articulo fidei teneant eum ſolum Chriſti vicarium: hoc urget etiam ut credant homines ſe non poſſe errare in cathedra, dum oracula ibi edicit: dominum illum eſſe omnium Eccleſiarum ſolum, tum claves, & theſaurum Sanctæ Eccleſiæ penes eum eſſe: ſibi jus eſſe reges deturbare ſolio & throno, & ſolvere ſubditos fide & jurejurando, & infinita hujuſmodi nugamenta, ut hæc propugnent plurimi animarum naufragium ac jacturam faciunt: ac tandem fiet, ut pro Deo in terra colatur.

Stropha hac à commento fidei implicitæ obfirmat & occludit viam

populo, ita ut nequeant figmenta & inventiones revelare, tum hic ſcrupulus conſcientiæ ſit eis perpendere aut examinare, quæ ille determinaverit, quæ fecit in ſuum emolumentum, & non in animæ ſalutem: interea arbitrantur miſelli hi tantum fidei eis eſſe quantum ſufficit ad ſalutem. tandem invenient ſe omni fide deſtitutos. Credo quod Eccleſia, niſi ſeorſim crediderim, & in particulari, nihil credo, ſtatui tantum credere quod jubet Romana Eccleſia, ſive ſit verum ſive falſum. Profectò credere duntaxat quod alius credit, perinde eſt ac ſi dicat aliquis; Video ac cerno quod alius videt, quamvis oculi occludantur, ac queadmodum nullus dici poteſt videre, niſi ubi facultas viſus operationē exercet in objectū aliquod particulare; ita actu nemo dicitur neq; poteſt creere, niſi mens ac intellectus actu apprehendit objectum fidei. Plurimi ſunt ſub papatu, multi in populo donati à Deo ſufficienti judicio, & capaces ad ſanam doctrinam amplexandam in multis myſteriis fidei, ſi media ſeſe offerrent opportuna, ut addiſcerent, ſed virtute implicitæ fidei, non duntaxat arcentur à lectione eorum quæ debent ſcire, ſed ex eis frequens & magnus numerus, & non planè è ſtupidis, qui indiſtincta aliqua notione articulos apprehendunt, commentaria falſa & inepta affingunt. quamplurimi ſunt fidei huic implicitæ involuti, qui poſſent alias diſtinguere duas naturas in Chriſto, & unam perſonam ſolum, eamque divinam, tamen arbitrantur Chriſtum hominem per humanam perſonam, atque hæreſim Neſtorii ſequuntur: quot qui Chriſtum ψίλον & purum hominem putant, atque ita Ariani ſunt? quot ſunt qui putant in Chriſto utramque naturam confundi in unam naturam? innumerabilia prodigia hæreſιων inveniri poſſunt, ſub chymæra implicitæ fidei. Præterea ut horrendi hi errores alantur, pontifices interdicunt media quibus veritatem addiſcere poſſunt, vetant ac prohibent Scripturarum lectionem ac uſum, quibus intelligi poſſunt: certò enim eis hoc perſuaſum eſt, vulgus lectione ſcripturarum, varias paparum, epiſcoporum, ac prædicatorum nugas, ſtrophas, ac technas diſcoopertuoros, quibus populo imponunt, ut eos pecuniis emungant, atque ita pro diis ſeſe venditant. Si ſcripturarum lectionem populo permitterent lingua vernacula & vulgari, viderent omnes Apoſtolos nactos idem onus & munus, omni ratione Petro æquale ad Eccleſiam gubernandam & regendam. Viderent in univerſis Bibliis, nullam mentionem factam uſquam quod Petrus Romæ fuerit, vel quod munus alquod particulare ſeorſim ab Apoſtolis, epiſcopis Romanis tradidiſſet, certiores etiam fierent

rent omnes epiſcopos parem poteſtatem in ſe invicem nactos & conſecutos per ſucceſſionem ab Apoſtolis, neque ullum alteri ſubjectum epiſcopum: Eccleſiæ Sanctæ unionem in fidei & charitatis ἑνώσει conſiſtere, per quam Eccleſiæ militantes conjunguntur & combirantur, & invicem amplectuntur ſeſe, nullum habentes caput viſibile, ſub Chriſto duntaxat ſunt, vero & unico Eccleſiæ capite, agnoſcerent Miſſam nullum alium uſum habere, neque ullum ſpirituale beneficiũ agnoſcere, quàm Sacram Euchariſtiam & ſacramentum conſecrare ut communio ſit, idque duntaxat, cum plures pauciores ve ſunt, qui communicant, ſonora & alta voce proclamationẽ alterius partis, & muſſitationem ſive admurmurationem reliquæ partis, ita ut populus ne audiat quidem, nugamentum & ludibrium eſſe. Præterea manifeſtum eſt mimicos illos geſtus, manuum, pedum, ac oculorum, eò tantum tendere ut homines perplexi & attoniti ad hæc obſtupeſcant, & admirentur. ſi ſcripturas benè perpenderent ac examinarent in euchariſtia Chriſti corpus verum ſacramentaliter eſſe diſcerent miro & ineffabili modo & myſterio, nullo pacto in carne, oſſibus, pedibus ac manibus nuſquam in ſcripturis invenirent panem conſecratum adorandum, in locum Dei ſubſtituendum, quemadmodum aquam non adoramus, quę ſanguinem Chriſti in baptiſmo ſignificat & exhibet, quamvis virtute gratiæ Dei, aqua illa & panis hic, in eo qui digne recepit, operentur ac efficiant, admiranda ſpiritualia in animis noſtris. Diſcerent etiã pontificii, nullam uſquam in ſcripturis purgatorii factam mentionẽ, neque explicite ac implicite, figmentum ac nugamentum ſacerdotum ac monachorum, quò miſſam ſtabiliant, & emungant pecuniis, & munera ac oblationes quibus expientur ac liberentur animæ è purgatorio: quod inventum cenſus ac reditus peperit, quo iam magnum ac ingens fucorum examen ac epicuri de grege porcorum colluvieș (non duntaxat Eccleſiæ inutiliũ, verum etiam offendiculo) excrevère, quos papani plurimi faciunt; ſi ſcripturas contulerent, in omni immunditia viventes ac fœditate non alerent, quorum Deus venter & exitus damnatio. Hæc & alia quæ veriſsima ſunt & hiſce affinia populus aperiret, ſi eis conceſſum eſſet legere ſcripturas, neque ferrent ſibi imponi, & involvi obſcurę nocti implicitæ fidei. Multò facilius etiam perciperent hæc, ſi ſimul cum ſcripturis, doctorum ac piorum librorum copia adeſſet, qui impoſturas papatus ob oculos ponunt, & ſincerè viam ad ſalutem ſternunt: libri tamen à papa, in ſuum commodum, pro hæreticis cenſentur, & probibentur tanquam peſtilentiales

in eo genere. Nunquam ſeorſim innuens aut ſignificans, in quo prædictæ hæreſes conſiſtant; quos ſcripſêre tamen ac docuêre veteres in Eccleſia patres. Sed hoc eſt ejus effugium, ut ſecurè lateat, ne diſcooperiantur errores: nullo modo hoc eum pungit, quod videat tot animas præcipites ruere in infernum; abunde & bene ei eſt, ſi fruatur interea hac pompa, atque hæc de iſto errore generali.

Sequitur alius generalis, quo detinentur Eccleſiæ Italicæ, ac alibi multæ aliæ, quas effaſcinavit error ille, nimirum quod popello perſuadeant, ſe remiſsionē peccatorum certò adipiſci & conſequi poſt Baptiſmum, virtute externarum quarundam ſenſibilium, & materialium actionum, quæ Sacramenta & ſacramentales actiones dicuntur. Revera populus natura proclivis, & addictus ſuperſtitioni, multò libentius ac facilius exercitia quædam externa ſuſcipit, & amplexatur, quàm internam obedientiam difficilem, & quam ſanguis & caro ac abhorret & deteſtatur. Ac proinde confidentiam omnem collocant in externis illis ſuperſtitionibus papani. Intea vacui omni ſenſu vero ac deſiderio remiſsionis peccatorum, atque ita cæcus dum à cæco ducitur, uterque in foveam incidit.

Genuina illa ſacramenta ac vera à Servatore noſtro Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta in remiſsionem peccatorum, eſt Sacer Baptiſmus, & Sacra Synaxis ſive euchariſtia. & unicum ac verum remedium, quo peccata expiantur & eorum remiſſio obtinetur, poſt Baptiſmum eſt reſipiſcentia, quæ in vera contritione & dolore ob peccatum conſiſtit, ſimul etiam cum firmo animi propoſito per Dei gratiam relinquendi peccatum. Videamus quàm aliena ſint dogmata pontificiorum ab his: Nimirum pernecеſſarium eſſe omnia & quævis peccata in aurem ſacerdotis, alioqui impuri inſuſurrare, & ei confiteri, ſingula ſeorſim ſimul cum circumſtantiis eorundem; hinc continuò abſolutionem ſequi, quæ eſt ex opere operato, infallibiliter operatione ſacramentali remitti peccatum, quantum ad culpam hoc eſt reatum & noxam, quantum ad pænam remittis per ſatisfactionem, bullam ac indulgentias, tam potentem efficaciam abſolutioni ſacerdotali aſſcribere, & virtutem per quam volunt peccatorem continuò ex attrito contritum fieri hoc eſt nimirum, quamvis vere & ex animo non reſipiſcat de peccatis, ſed exilem & tenuem ſenſum ac dolorem concipiat, quod illum tanquam judicem timeat, ac pænam non ex odio peccati, tamen ex opere operato, & ut loquar, ex actu abſolutionis, frui remiſſione peccatorum, perinde ac ſi veram &

ſinceram

ſinceram pœnitentiam egiſſet, ſimul etiam cum odio ac deteſtatione peccati: atque ita peccatorem decipiunt, & faciunt ut magis ac magis peccatis inhæreat atque indulgeat, dum ſibi imponit ac adulatur, nimirum confeſſionem convertere attritionem in contritionem. Miſelli hi ita decepti ac ſeducti, cæca ac fallaci doctrina, in tantum externæ confeſſioni innituntur, & externæ abſolutioni, ut internam· reſipiſcentiam negligant & omittant, atque ita in peccatis ſuis inſiſtunt & inhærent, ſatisfactum eis abundè arbitrantes, & partes ſuas præſtitiſſe, ubi Sphęrulas horarias peccatorum evoluerint ac enumeraverint, atque nacti fuerint abſolutionem: ſed felices ac beatæ illæ animæ, quę nullátenus ſuperſtitioſam hanc confidentiam collocant in virtute ulla hujuſmodi ſuperſtitionis (quæ revera ab euangelio nullam ſacramentalem operationem poteſt derivare) & ſibi certò perſuadent, nulla eis alia remedia eſſe quàm reſipiſcentia ex imo corde, huic duntaxat innituntur, & ardentibus precibus ſupplices Deum flagitant ut hanc elargiatur, media adhibentes, quæ proponit ſcriptura, nimirum, Iejunia, Eleemoſynas, & hujuſmodi opera charitatis: non quod ſatisfaciant pro pæna, quemadmodum Romanenſes falsò aſſerunt, quippe Deus ubi peccatum remittit, continuò etiam & pænam, quemadmodum perſpicuum eſt in ſcripturis, ſed quia fructus ſunt internæ reſipiſcentiæ, ac partes externæ: atque ſternunt viam ad remiſſionem peccatorum: ſed Romanenſes ſecus multò (aberrantes à vero ſcopo, & palantes in obſcura errorum nocte,) omniaque in pejus ὕστερον πρότερον, id eſt, remiſſionem peccatorum concedunt, atque inde opera reſipiſcentiæ jubentes quæ quidem reſipiſcentiam debent præcedere, & multo ante remiſſionem. atq; hoc calculo miſerrimi hi dum putant maximè liberi, tum maximè obnoxii, & devincti coram Dei tribunali. Commentum ergo Sacramentalis confeſſionis & abſolutionis ut nuncupant pernicioſum Novitatis notam habet, primo impoſitum erat à papa Innocentio tertio ubi hoc invaluit, veræ pænitentiæ forma difficillime in Eccleſiis potuit inveniri, quæ Papæ ſubjiciuntur. O quàm multò melius conſultum eſſet hujuſmodi peccatori non confiteri, ſed tum duntaxat, ubi propria conſcientia eum pungit, ac animadvertit in ſtatu eſſe ut reſipiſcat rectè? crebra & frequens confeſſionis iteratio ac repetitio, ut apud Romanenſes in more poſitum, peccatorem alit ac fovet umbris, & ita videtur ſibi ſe conſcientiæ ſuæ ſatisfacere abundè. ac proinde cum non videat ſtatum illum miſerum in quo eſt, nun-

quam ſeriò de vera pænitentia cogitat: Si exercitium frivolum, & mane non adhiberet, quod cò tendit ut peccata palliet & tegat, ſentiret ſeipſum adhuc in ſtatu peccati, ſerio apud ſe meditaretur de vero remedio, nimirum interna reſipiſcentia, quæ abſque ulla alia confeſſione aut abſolutione peccata delet ac expungit, quemadmodum perſpicuum eſt abundè ex ſacris ſcripturis & patribus. Peccatum ergo enorme, & animæ noxium credere externa illa exercitia remiſſionem peccatorum conferre, & neceſſaria eſſe ut hanc conſequamur. Quid ego de aliis crepundiis & externis nugis, quibus populus maximè addictus eſt, quemadmodum eſt aqua luſtralis, Sphærulæ horariæ, crucis imagines alioqui conſecratæ, benedictiones papales, indulgentiæ, & fatuus Carmelitarum Cucullus, Habitellus dictus, cor diſtringentes franciſcani, Iacobitarum tincturæ, viſitatio Eccleſiæ illo aut hoc die, vel altaris hujus aut illius, & reliquiarum, imò Miſſarum auditio, & unctio extrema alicujus in Agone? Hæc & ſimilia externa farciunt, & inflant animam nauſea quadam falſæ ac imaginariæ devotionis, unde eſt quod homines non meditentur de animæ purificatione, ac conſcientiarum, de conſummatione fidei, & inflammanda charitate ergà Deum, nullam peccatorum faciunt pænitentiam, & præſtandis illis actionibus internis, in qua ſalutis ac ἀπολυτρώσεως pars eſſentialis conſiſtit. Vbi quiſpiam ſemel in die crucis ſigno ſe ſignaverit, & pater noſter repetierit, (quod nullo pacto intelligit) ſimul cum ave Maria, & Miſſam audiverit, tunc certè pro Sancto habebitur, & ſatis doctus in religione: atque his externis & accidentalibus inſiſtens, his innititur ad ſalutem, & ſi ullo pacto proteſtantem malè fundatum ineſcare poterint, & ad ſuas partes adducere, ſatis inſtructum arbitrantur, ſi in Papam crediderit, & Miſſam audiverit, ſtatim catholicum illum omnibus numeris perfectum affirmant. Dicent mihi internos animi motus accendi & cieri, & acui externis illis actionibus. Sed experimur contrarium: populus enim ubi ſeipſum laſſarit, viſitando ac luſtrando tot altaria, audiendo tot Miſſas, ruminando tot ave Marias, percurrendo integrum Roſarium, ubi toties Miſſam audiverint, deoſculati fuerint crucem, ultra non curant, ſed ſeipſos ſanctos ita arbitrantur, neque ultra opus habere, tamen in peccatis incedunt; Imò hujuſmodi homines quotidie pejores evadunt, æſtuantes internis libidinibus, neque vitam tamen corrigunt, neque veram pænitentiam agunt. De hiſce autem miſeris ac calamitoſis dicere poſſumus: *parvuli*

parvuli

vuli petierunt panem, & non eſt qui frangat eis. Si analecta ac fragmenta quiſpiá eis impetrat, non eſt verus panis vitæ, ſed pro pane ex frumento, pané ex glandibus & furfure ſubſtituunt: ut ſenſum omnem famis arceant pórcino victu ſaginant, & corticibus ſuperflue ac ſuperſtitione devotionis paſcunt: in pulpitis ac cathedris hodie quid boant? quid præter purgatorium ac indulgentias, & hujuſmodi ſuperſtitiones; mirificè hic imaginem quandam Beatæ Virginis in Eccleſia viſendam evehit ac extollit, quæ miracula divina abundè edit: ſed vel imaginarium, vel quod in ſomno viderit: vel deceptione & fallacia aliqua adinventum, alter ſtupet & admiratur quaſi in extaſi, crucem aliquam ligneam miracula operantem, proſtituens eam, ac luſtrationem faciens lampadibus accenſis: & ut pretium operi accedat, peripetaſmata rarius reducit, ac tempore ſtatuto armarium aut capſulam aperit, ubique in papatu hoc præſtant, omnes ad eundem finem collimant, nimirum ut ſimplicem populum pelliciant, atque ita eos pecuniis emungunt. O miſeria corruptionis, & nox tenebrarum.

Aggredior tertiò errorem generalem. atque hic eſt anathematis fulmen quod Papa tonat, undiquaque horrendum, & in altum penetrans, vulnerans animam, & præcipitem agens in tartara, ſi obſequantur mandatis Papæ. Verum hoc eſt omnem Epiſcopum in ſua dioceſi & epiſcopatu (non minus quàm Pontifex Romanus) habere poteſtatem hanc, ut excommunicet eos, qui ſcandalo ſunt, & graviter peccant, arceat vel ab eccleſiaſtica communione, cum aliis Chriſtianis, donec reſipuerint: vel ſi nulla ſpes reſipiſcentiæ & negotium deſperatum, ejiciat ex Eccleſia, & reſecet à corpore Eccleſiæ, tanquam membra mutila & inutilia. Sed quotieſcunque hujuſmodi excommunicationes, abſque juſta & gravi cauſa detonant, nocent ei magis qui ea vibraverit, quam eis adverſus quem intenduntur: ſtultitia ergo inſignis anathema pontificum vereri, quandocunque hæc minitatur in hoc genere, vel credas quodcunque dixero, vel anathemate te feriam, ſupremum me agnoſcito Dominum totius mundi, tum in ſpiritualibus & temporalibus vel excommunicabere: vel agnoſcito me pro Deo in terris vel anathemate feriá te, ut propoſitú ſuum exequatur, ita operando cogit homines tum ut credant, & præſtent quodcunque voluerit: media adhibet ut ſimplices ac meticuloſos ſub imperio habeat, ita ut non audeant ſeipſos tueri adverſus eorum tyrannidem, inanibus terriculamentis, uſum multorum librorum è medio tollit, propterea interdicit, quia nugamenta ejus diſcooperiunt,

Canon

Canon ergo hic infallibilis & certus, quicunque ſincerè in conſpectu Dei incedit, in ſimplicitate cordis: ac honeſto animo hos libros legit non carnali aliqua curioſitate: ſed in animo ut addiſcat, & ut diſcernat inter verum & falſum, & ut non ſemper cæcus ſit, ne extimeſcat, aut vereatur hujuſmodi excommunicationem, quæ nullo modo poteſt ſeparare hominem à Deo, niſi primo ſeipſum ab eo ſeparaverit. Procul omni dubio Papa terriculamentum hoc excommunicationis pro magno habet, tanquam commodum commentũ, ut multas falſitates urgeat, & veritatem abſcondat, ut magnitudinẽ quæ ei non competit, & quã uſurpavit propugnet. Hæc quidem ejus arma, quibus uſus eſt: ſed plurimi pii homines aciem ferri retuderunt, qui non veriti ſunt irridere bruta & falſa fulmina, contorta fruſtra abſque ulla neceſſitate: vel ulla juſta cauſa, & coegerunt eum arena cedere cum pudore. Gratias ergo ſolvamus Deo, qui nos eripuit de ore Leonis, & de nube erroris: ita ut hoſtis neſciat nos deducere in tenebras tam profundas, quemadmodum nunc plures animas ſub ſuo jugo.

Ergo *Nobis nox preceſſit.*

Dies autem appropinquavit. 4. illis noctibus, totidem dies correſpondent. I. dies cognitionis Dei, & ſanctæ fidei Chriſtianæ, abolitis umbris, & ſciſſo velo per adventum Chriſti, nobis manifeſtatus Neque erat abſque myſtica ſignificatione, quod in paſſione Chriſti *Velum templi ſciſſum fuerit à ſummitate ad imum.* Myſteria enim Dei non debebant

Matth. 27. 51. latere & iis velum obduci, cum in apparitione Solis Iuſtitię omnes hæ nubes & tenebræ evanuerint; perſpicua nobis revelatio facta eſt unitatis in eſſentia, & trinitatis perſonarum in Deo, & redemptoris veri & unigeniti filii Dei, in quo duæ naturæ divina & humana ſubſiſtens in divina perſona verbi ſubſtantia eſt, & notatione præfiguratus immaculatus Dei agnus. Verum illud ſacrificium latens & abſconditum, & velatum in ſacrificiis veteris legis, ſacrificium maximè pretioſum oblatum ſupra altare crucis ob noſtra peccata, cui nullum aliud ſacrificium debet ſuccedere, præter rationa-

Rom. 12. lem cultum animarum & corporum, & perpetuam gratiarum actionem, adorationemque ſacroſancti nominis.

Alter dies Gratiæ eſt, cum plena remiſſione omnium peccatorum in Baptiſmo, Eccleſia ſanctificata, & mundata lavacro aquæ in verbo. De his qui Chriſtum amplexi ſunt per prædicationem verbi, Apoſtolus dixit: *Olim fuiſtis tenebræ, ſed nunc lux in Domino, qui juſſit lucem è tenebris ſplendere.* Gentibus lux naturæ, & Judæis lex indicabat, ac notabat quid præſtandum. Neutra gratiam præſtabat, & vires ad operandum ſive ad legem implendam, quemadmodum Apoſtolus Paulus ait ac probat. Corrupta enim natura nimium propendebat & proclivis erat ad peccatum, ut præceps rueret in omne flagitium; gratia tamen Chriſti naturæ corruptæ ſuccurrit, & quod impoſſibile per naturam, ex gratia præſtat, & liberat ac ſervat nos à peccato, ac propterea hic dies appropinquavit. Ephes. 5. Rom. 8. Heb. 10.

Tertius hic dies vigilantiæ, diligentiæ, ac induſtriæ: feræ maximam noctis partem exigunt in excubiis, prædam luſtrantes ac ſectantes; è contra homines nocte ſilent, ac ſeipſos reficiunt, & negotia aggrediuntur & perficiunt de die. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa tranſeunt omnes beſtiæ ſylvæ, &c.* non ita cum homine; *exorto enim ſole exit homo ad opus ſuum.* Ferarum proprietas immitium ac crudelium, ut die quieſcant, nocte incumbant prædæ, pariter etiam homines, qui malitiam & nequitiam exercent, lucem fugiunt. *Homines potius tenebras dilexère, quàm lucem, opera enim eorum erant mala.* Omnis enim qui male agit odit lucem, & non ad eā accedit, ne opera ejus redarguantur aut reprehendantur. Sed qui feris his diſſimiles, omnino bonis operibus invigilant, pro modulo gratiæ eis conceſſæ, dum dormient, opportunitatem lucis habent, neque diem terunt inutiliter, ſed bene agendo redimunt tempus. *Qui verum agit, ad lucem accedit, ut opera manifeſtentur;* Chriſtus magiſter noſter & inſtructor ait de ſeipſo. *Neceſſe ut faciam opera ejus qui me miſit; dum dies eſt, adeſt nox cum nemo operatur.* Quanto magis unuſquiſque noſtrum dicere debet de ſemetipſo, quibus Paulus dicit, *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere,* dum durat tempus hujus vitæ debemus enixè bonis operibus ſtudere, & oſtendere nos fidem vivificam habere. *Abiit nox* ſumma ſtultitia eſt præſtolari (quemadmodum Romanenſes faciunt) Pſal. 104. 20. Ioh. 3. 21.

D ſes faciunt)

ſes faciunt) donec alii pro nobis bona opera præſtiterint, & eorum opera nobis applicare & appropriare, cum mortui ſumus: alios jejunium ſuſcipere, & Gregorianas Miſſas aſſequi; & altaria privilegiis multis dotata quçrere, bullas & indulgentias procurare pro nobis per modum ſuffragii, vel interceſſionis. Nox eos deprehendit, in qua nemo poteſt operari, certe ne ipſe in propria perſona neque ullus pro eo, & in ejus uſum. confecto itinere noſtro per mortem tandem expectatam domum appellimus, ſive æternæ ſalutis vel damnationis, non datur medium.

Eccleſ. 11. 3. *Si arbor auſtrum vel ſeptentrionem verſus ceciderit, ibi erit*, propterea dum dies, fac quç

Pſal. 115. 17, 18. oporteat; *Mortui non laudant Dominum, neque ullus qui deſcendit ad locum ſilentii, hoc eſt, ad ſepulcrum, ſed nos qui vivimus laudabimus Dominum, ſepulcrum non poteſt te laudare. qui in foveam deſcendunt, non poſſunt ſperare veritatem tuam, qui Nomen tuum laudabunt.*

Iſ. 38. 19. Dies quartus eſt dies puræ ac ſimplicis veritatis, nox præteriit tot errorum, qui ſimul cum papatu irrepſerunt in Eccleſiam pontificiam, & nobis per gratiam omnipotentis dies illuxit; qui ſub papatu vivit, poteſt ac debet dicere in

Pſal. 43. 3. precibus ad Deum, *Emitte lucem tuam & veritatem*: ſed quem Deus liberavit ex his tenebris, inſiſtere debet ſequentibus. *Ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Hic dilecti fratres, in hoc regno habemus montem Dei, qui cælum verſus ſeſe attollit, diſtinctus & diſſitus procul ſtat à ſentina & volutabro papalium corruptionum: Hic tabernacula exſtructa ſunt & tentoria exercituum Domini Sebaoth; qui compoſito ordine locata ac probè inſtructa ac ſuppeditata, ut fortiter ac ſtrenuè viribus adverſis ſeſe opponant: Hic veritatis lux liberè ac palam ſuſcipitur ac ſplendet. hic ſacræ ſcripturæ ad amuſſim exactæ leguntur ac diſcuntur. Hic frequens numerus doctorum, hic ſuprà omnes eminet doctiſſimus unctus Domini, Rex miraculum regum terræ, prototypon, & exemplar omnibus principibus & regibus Chriſtianis, qui Zelum oſtendit, in purgando propagando, & propugnando, Sacroſanctum Chriſti cultum purum: hic ſincerum Dei verbum abundè docetur. Epiſcopi valde docti ſunt, pii, &

invigilantes

Invigilantes gregi ſibi commiſſo. Sacerdotes apprimè docti & valdè expertes in animarum cura, populus hic Zelo fervet, ac ardenter amplexantur imo corde Dei verbum, & impensè addicti Sanctis ac ſpiritualibus officiis. Gratias ergo Deo, qui poſt tam longam noctem multorum errorum tandem emiſit lucem ac veritatem, quæ me duxit & adduxit ad ſacrum hunc montem, & ad tabernacula ejus. Atque ita in Domino gaudens iterum repeto mihique ac vobis dico fratribus: *Nox præceſſit, dies appropinquavit.*

Hic aliquis forſan me percontetur, cur dicat *diem appropinquare*, & non potius dicat hactenus veniſſe: quod dubium enaſcitur ex verbis præcedentibus: *Nam propior eſt ſalus, quàm cum credidimus.* Hic ergo quod dies appropinquet, eſt ſalutis acceſſus, pro iiſdem enim ſumenda hæc dies, ac ſalus, ac per conſequens præter illum diem, ac ſalutem, qui Chriſtus eſt & Euangelium ejus, & præter diem illum ac ſalutem, quæ ſignificat gratiam ac remiſſionem peccatorum D. Paulus alium diem intelligit, quem diem dicit propius appropinquaſſe, cum epiſtolam hanc ſcriberet, quam cum primò fide amplexi ſunt Sacrum Bapriſmum cum peccatorum remiſſione per ſalutem quam dicit propius appropinquaſſe, intelligit ſalutem introductam, per adventum Chriſti, propior quam ante adventum, Sed neque D. Paulus neque Chriſtiani ad quos hanc epiſtolam ſcripſit, credebant ante adventum Chriſti.

Rotundè tamen & perſpicuè aſſerit Apoſtolus *quam credidimus*, hoc eſt tum, quando incepimus credere in Chriſtum. D. Chryſoſtomus intelligit per ſalutem univerſalem reſurrectionem in ſecundo adventu Chriſti in die judicii; quare Apoſtolus Paulus fideles excitat, ut vigilent, & parati expectantes univerſale judicium, quod Apoſtolorum temporibus putabatur à multis imminere; melius interpretari hæc verba Apoſtoli de morte, & judicio particulari uniuſcujuſque Hominis poſſunt. Dicamus invicem *noſter dies appropinquavit*, & propior ſalus noſtra, quia ſingulis momentis propior accedit. Præparemus nos ergo fratres ergà diem, Math. 24.
ut Chriſtus nos vigilantes & paratos inveniat. *Neſcitis enim qua hora veniet Dominus.* Sed potius quemadmodum quinq; Math. 25.

 virgines

Virgines paratæ fuerunt, & ingreſſæ ſunt cubiculum cum ſponſo; cavendum ne nobis eveniat, quod fatuis illis Virginibus, quæ in perpetuum excluſæ ſunt horrendo illo reſponſo: *Neſcio vos*; ergo hora eſt nos de ſomno ſurgere, *cum dies appropinquavit*.

Gen. 1. Abjiciamus ergo opera tenebrarum. Primò, opus tenebrarum, ſeu potius tenebræ illæ, quas Deus in prima creatione mũdi diſtinxit à luce ab Auguſtino intelligitur de malis angelis, qui etiam ab Apoſtolo Paulo dicuntur *Principes tenebrarum hujus mundi*. Hiſce in Baptiſmo renunciavimus: & tamen non ceſſant nos invadere. Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis. Qui nocte ambulat facile in manus furum dilabitur ac latronum, & ſæpiſſime exuitur ac ſpoliatur bonis omnibus, ac aliquando vitâ. Si homo in die ambulaverit, videt lucem hujus mundi, non impinget, quia videt lucem hujus mundi. Sed ſi in nocte incedat impingit, quia non eſt lux in eo. Diaboli ſunt nocturni illi fures, quandoq; etiam latrones meridiani, laquei ſunt tentationes, & peccatum carcer ſive ergaſtulum. Si velimus eorum manus effugere, ne vernæ in regno tenebrarum ſimus, ambulemus in die, in commercio Ieſu Chriſti Servatoris noſtri, & non opus erit eos vereri aut extimeſcere. *Scuto te circumdabit veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano; cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Opera tenebrarum ſunt, ſomnus, ſomnia, ac otium: hæc etiam excutiamus, dum enim dormit homo inimicus zizania ſerit, inania hujus mundi gaudia, & præpoſteras cogitationes & conceptus, ita cerebrum infatuant, ut immemores ſimus animarum noſtrarum, ac rerum æternarum. Miſellus ille mundo affixus ſomniabat, cum ſeipſum ita alloqueretur: *Dejiciam horrea mea, & majora ædificabo, dicam animæ meæ, anima, bona repoſita ſunt tibi ad multos annos, ſecurè vivito, ede, bibe, & ſume voluptates.* Somnium hoc fuit perbreve, continò audivit hanc vocem à Deo. *Fatue hac nocte repetetur anima tua, & cujus erunt omnia.* Exuamus ergo hujuſmodi ſomnia, ſume omne otium, & ſocordiam in iis, quæ Deum concernunt, & ſpiritualem veritatem cen-

De civitate Dei libro 11. capite 19.

Epheſ. 6.

Iacob. capite quarto.

Pſal. 91.4.

Matth. 13. 25.

Luc. 12. 19.

tem. Cenſendum inter opera tenebrarum, ſi nocturno ſtupore ac ſegnitie corripiamur in Dei leiturgia ac cultu, dum fax verbi ardet ac ſplendet: abjiciamus lethargum & omnem ſtupiditatem. Erumpamus in hæc verba, *Clama ne ceſſes*, dixit propheta, ita Apoſtolus Paulus, quemadmodum loquitur Iſ. 58.
de ſeipſo: *Mundus ſum à ſanguine*, non enim dubitavi omne Dei conſilium vobis aperire ac manifeſtare. Si ergo hoc non præſtiterimus, rei erimus ſanguinis animarum quæ perierunt noſtro ſilentio. *Laudemus Deum voce, veritatem pro-* Coloſ. 3.
mulgemus, docentes ac inſtruentes noſmetipſos in Pſalmis, Hymnis 16.
& ſpiritualibus cantionibus, cum gratia canentes in cordibus Domino. Hæc ergo exuamus & omnia alia opera tenebrarum.

Ergo induamur arma lucis, ſtatim ubi exuerimus ac depoſuerimus atratas & lugubres veſtes, reliquum eſt, ut nullo tempore nudi inveniamur, ſed ſplendida, luculenta veſtimenta *induamur, arma lucis*. non difficile eſt indagare ac invenire quæ ſint hæc arma lucis. Servator Ieſus dicens de ſemetipſo: Ego ſum lux mundi quàm diu ego ſum in mun- Joh. 8. 12.
do ſum lux mundi. Expreſſe ait Apoſtolus, ſe intelligere 8. 14.
Chriſtum eſſe ſplendidum noſtrum amictum, tum poſtea ſubnectit, induite Ieſum Chriſtum: ante adventum Chriſti Deus in ſuis manibus complectebatur lucem. Sed poſt adventum dilectus diſcipulus Spiritum Sanctum his verbis depingit, *Vidi mulierem Sole amictam & lunam ſub pedibus*; Rev. 12. 1.
atq; idem reſpondet cum exhortatione Pauli ad omnes Chriſtianos. *Induimini Ieſum Chriſtum, & carnis curam nolite facere in deſiderium ejus, & carnem nolite curare, ut ejus libidines ac concupiſcentias impleatis.* Per lunæ ſub pedibus conculcationem, intelligimus contemptum rerum temporalium ac evanidarum, carnemque libidinum ac voluptatum odium. Immo hic quod D. Paulus ait ad Romanos *Præceſſit nox*, Eph. 5. 14.
Induamus arma lucis aliis verbis Epheſios alloquitur: expergiſcere tu qui dormis, & Chriſtus lucem tibi dabit.

Plurimi nimium curioſi conjecturam fecere, Nochum in Arca incluſum, cum per feneſtram luce non potuerit frui, (quæ continuò obfirmata ſeu occluſa fuit) uſum fuiſſe carbunculo, vel aliqua alia gemma lucida & radiante. quis lapis tā lucidus qui tenebras poteſt propellere ac illuceſcere nobis

dum natamus ut nos eripiat aut ſervet in cataclyſmo hoc & diluvio peccati, *Quemadmodum Chriſtus petra erat, qui vera*
1. Corinth. *lux eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum,*
10. 4. *lucidagemma ac pretioſa: omnia vendamus ut hanc emamus, qui*
Ioan. 1, 9. *Chriſtum non habet ob oculos nec expectat lucem, vanum eſt vobis*
Pſal. 124. *ante lucem ſurgere.* Qui putat ſe poſſe è tenebris ſurgere, &
3. obſcura nocte peccati & infidelitatis, priuſquam Chriſtus in corde accendat ſtellam matutinam, imponit ſibi ac frivolum commentum eſt, & ſomniat de nocte ac verſatur in errore magno. Si vis teipſum ante lucem excitare, invenies nihilominus te in tenebris hærere; qui vult tuto ac ſecure incedere, ſurgat revera, ſed cum Chriſto, eumque ſequatur, quocunque eum ducat: & hoc eſt Ieſum Chriſtum induere.
Romanorũ. Adamus aliquando amiciebatur albis veſtimentis innocen-
13. 14. tiæ, & originalis juſtitiæ, verum miſerè deceptus à ſerpente tenebrarum rectore, incidit in manus latronum, qui veſtimentis eum ſpoliabant, & eum vulnerarunt, & ſemi-
Luc. 10. 30. mortuum reliquerunt: ſed ecce bonus ille Samaritanus non ſolum vulnera ligat ac curat, ſed etiam operit, ex animo exoptans ſeipſum ei veſtimento: ergo induimini Ieſum Chriſtũ. Hic eſt veſtis Nuptialis, qua qui non induentur ejicientur foras in tenebras exteriores. Eſajas luculentum hunc amictum
Matth. 22. prædixit veſtem nuptialem, quæ tum conficiebatur. gau-
13. dendo gaudebo in Domino, exultabit anima mea in Deo meo, quia induere me fecit veſtimentis ſalutis, pallio juſti-
Eſai. 61. 2. tiæ involvet me, tanquã ſponſum conſecrabit gloria, & tanquam ſponſam ornabit vaſis ſuis.

Induamur arma lucis, non dicit veſtimenta lucis induamus nos. Chriſtus enim nos veſtit, non ad pompam, ſed ad pugnam, non inanes neque ad oſtentationem, ſed ut nos ſecuros reddat ad conflictum, cum tota vita Chriſtiana militia ſit. De inſtructiſſima Antiochi acie in Hiſtoria Machabęorum narratur, cũ Sol in clypeos aureos ac ęneos radios projiceret, montes reſplenduiſſe ac coruſcaſſe, inſtar lampadum ardentium. Talem ſplendorem atq; pulcritudinem projiciunt atq; emittunt hinc atque inde in oculos Dei & Angelorum arma lucis, quæ Chriſtianus gerit, ac beatarum animarum. *Arma enim militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad everſio-*

nem

nem munitionum, & evertentia ratiocinationes & ſublimia quæcunque attollentia adverſus Deum & ejus cognitionem, & captivantia omnem intellectum ad obſequium Chriſti: ita Chriſtus armatura noſtra, robur, ac propugnaculum noſtrum, fiducia, victor, & in fine brabeutes & brabeion. Videte arma lucis quæ ſint: ſumite & induite panopliam & armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere μεθοδείαις, & ſtrophis Diaboli, non enim luctamur adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates. adverſus rectores tenbrarum in hoc mundo, adverſus ſpirituales malitias in ſublimi, induite thoracem juſtitiæ, ſumite clypeum fidei, galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, qui eſt Dei verbum. Spero etiam in Deum, veſtrarum precum auxilio, chariſſimi fratres, D. Optimum Maximum mihi conceſſurum gladium verbi, ut quemadmodum occœpi, ſic etiam corroberer, ut occepiam pugnam adverſus rectorem tenebrarum proſequar, ut liberem tot animas pereuntes erroribus tam multis, ut gladium etiam iis exhibeam, ut ipſi ſuam libertatem operentur, & ſeipſos exonerent jugo tyrannidis, quæ tam gravis iis impendit.

Omnes induimini arma hæc lucis pręcipuè vos fratres ex Italia, ſi enim ſimul junctim eniteremur nos ipſos inſtruere armatura hac, certam victoriæ ſpem nobis polliceri poſſemus. Revera lucis arma induemur, ſi ſimul cum relligione reformata & deteſtatione errorum in doctrina, vitam probam egerimus, quæ inſerviat aliorum ædificationi, ſervantes noſmetipſos à peccato, ferventes in oratione, frequentes in audiendo Dei verbum, & in ejuſdem lectione, & aliorum ſpiritualiũ officiorum exercitio, præſertim in participatione ſacræ cænæ, & nos ipſos bonorũ operũ ſtudioſos prębuerimus. Math. 5.
Ita luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtrũ bona opera & glorificent patrem in cælis, cui bono relligionem profiteri reformatam inſeruit, niſi & vitam agamus reformatam. Credere benè, & perpetrare quod malum, parum proderit: immo profundius nos demerget in infernum. qui novit voluntatem Dei & non fecerit, multis cędetur verberibus, *Diabolus credit & extimeſcit.* In ore apud Pontifices eſt, qui- Luc. 12
cunque eorum caſtra deſeruerit, & reformatæ relligioni ad- Iacob. 2.
dixerit, hoc facere ut carni indulgeat, & vitam effrænem

ac diſſo-

ac diſſolutam agat. Incumbit nobis ut nulli calumniandi licentiam prebeamus, & arma lucis indui, alioqui lucida & ſplendida, quibus eorum oculos perſtringere poſſumus, ac eos confundere, ita ut cogantur fateri, in reformatis Eccleſiis profeſſionem ſinceram ac fructuoſam etiam vitæ reformatæ apud nos vigere. quod etiam ibi homines vivant in vero Dei timore, in vera ſanctitate & vera devotione, liberi ab omni ſcandalo, tanquam ergo electi induimini, Sancti ac dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatis, humilitatis, manſuetudinis, longanimitatis, tolerantes invicem, ſi quiſpiam aliquid habeat adverſus alium: ſed ſupra omnia induimini charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, ſi induerimus arma lucis, erimus filii lucis? & fruemur fructu lucis ſive ſpiritus in omni bonitate, juſtitia & veritate, quis noſtrum non novit filios Dei filios lucis vocari? Ratio, quia Deus ipſe lux eſt, unde eſt quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus utitur hac reprehenſione *filios hujus mundi, hoc eſt tenebrarum, prudentiores filiis lucis*: admonet ita, *dum lucem habet credite in lucem ut ſitis filii lucis*, pariter Apoſtolus Paulus, *ambulate ſicut filii lucis, quoniam eſtis filii lucis, & filii Dei*, ac propterea adhortatur nos, *induamur arma lucis*. Statim Chriſtianus vitâ commonſtrat, num filius Dei ſit nec ne: aquila intenſis oculis ac acie Solem in vigore intuetur, atque ita periculum facit de pullis ſuis, nimirum ſi tum poſſint ac velint oculorum aciem intendere in Solis orbem inflammantem, tum pro ſuis agnoſcit, ſi vero non ſuſtineant Solem ſuſpicere ac intueri, ſed oculos avertunt, tum nido extrudit, & degeneres agnoſcit, & non alit pro ſuis. Pariter pater cæleſtis, quemadmodum aquila, probat nos & examinat, num cum voluptate eum intueamur lucem noſtram, & ſi invenerit nos ea quærere quæ ſuperne ſunt, & converſationem noſtram ſplendide albis ſtolis innocentiæ, & obedientiæ ergà eum, eum imitando, tum nos agnoſcit pro genuinis & ex eo prognatis. Sed ſi deprehenderit nos lucifugas, lucem fugere, & oculos avertere, ne intueamur Solem juſtitiæ, duntaxat ſtatuentes intueri ea quæ ſupra terram ſunt, tum nos exturbabit, tanquam ululas, ac veſpertiliones, qui tenebras tantum diligimus & nequeamus lucem ſuſtinere.

Epheſ. 5.9.

Coloſſenſ. 3.

Lux

Lux illa undè hæc nobis exſpectanda ſunt bona Chri-
ſtus ſolus eſt, nulla planeta aut ſtella cauſat aurum purum
ac verum in viſceribus terræ, vel genuinam orientalem in te-
ſtis piſcium; inſudent alchymiſtæ, & ſeipſos atterant, ut au-
rum ex arte faciant, alio calore quàm Solis, nihil efficient,
ſed adulterinum aurum chymicum nullius pretij: quicunque
ſanctitatem & gratiam quærit, quod verum eſt ac pretio-
ſum aurum, & divitias omnium bonorum ſpiritualium, ab
ullo planetarum, præterquàm à vero Sole, incaſſum ſeipſum
fatigat: cum induimur hac luce, Chriſto nimirum, accepti
erimus in oculis patris cæleſtis, & firma ſpes nos tandem
triumphaturos de rectore tenebrarum. Ita Eſter a- Eſth. 5.
micta regiis veſtibus, animum Aſueri pellexit: ita Iudith
lætitiæ amictu induta inſignem victoriam retulit de Holo-
pherne.

Si Apoſtolus jubet nos omnes fideles *arma lucis indui*, cer-
tè (quod me magis afficit) ſeorſim nos compellat & allo-
quitur Sacerdotes ac Chriſti Miniſtros. Diu ante teſtifica-
tus eſt, *Deus Miniſtros ſuos veſtiri debere luce candoris, dum* Ezech, 44.
ingrediuntur portas interioris [illegible] *lineis ſtolis, neque* 17.
laneum induent. Qui ſanctuario inſervit laneo non debet
amiciri, quod ſuperfluum & animalia ſpectat, hoc eſt, non
debet inferre affectus carnales ac ferinas, ſed purum ac al-
bum linum, quod ſymbolum ac τεκμήριον omnium virtu-
tum, & perfectæ juſtitiæ. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam* Pſal. 133.
& mundamini qui fertis vaſa Domini; quid aliud notat hoc 16.
purum linum & amictus ex lino, quo (ſecundum antiquiſ- Eſ. 52.
ſimum ritum puræ & adhuc incorruptæ Eccleſiæ) induimur,
in munere Sanctæ λειτουργίας: nobis incumbit indui hac luce,
& in vitæ ſanctitate aliis prælucere, amictus albus memores
nos facit illius, quod dictum à Servatore. Nemo accendit
candelam, & ponit ſub modio, ſed candelabro imponit, Mat: 5.15.
ut lumen præbeat omnibus qui domi ſunt, qui in miniſte-
rio ſunt debent inſtar columnæ eſſe nubis de die, & ignis no-
cte, ut exercitium Domini deducant in terram promiſſam,
ſunt oculi Eccleſiæ; poſſum ergo Eccleſiæ applicare, quod
dictum à Servatore noſtro, lucerna corporis eſt oculus, &
quemadmodum Gregorius digniſſimus Epiſcopus hinc in-

fert, lucerna autem Eccleſiæ eſt Epiſcopus. Propterea ô Ec-
Matth. 5. cleſia ſi oculus ſimplex, luminoſum erit totum corpus: ſed
Epiſt. ad Baſil. ſi oculus malus, totum corpus erunt tenebræ, ſi lux quæ in
te eſt, erunt tenebræ, quantæ ſunt hæ tenebræ? Pontificii heu
nimium norunt, experti enim ſunt, ab oculis tenebricoſis,
craſſas illas tenebras provenire, in quibus detinentur Præ-
lati præcipuè & qui ſe Epiſcoporum Epiſcopum inſignit: cæ-
ci tamen (ne meipſum quidem excipio, quemadmodum
prius eram, cæcutiebam quippe in eorum commercio) o-
culos pulvere obſitos habentes, in terram defixos duntaxat,
atque ita Eccleſiæ inter ipſos ſub cruce hærent nubibus i-
gnorantiæ obſitæ. Agamus Deo gratias quod oculi hic
puri ſint, & ſimplices, ac proinde totum corpus lucidum
totius Eccleſiæ ac perſpicuum.

Hęc dixi de luce ac tenebris, die ac nocte, in hac enim valle
miſeriarum multum obnoxii ſumus tenebris. Oremus ergo
authorē ac fontem lucis ut poſt vitam tenebricoſam nos de-
ducat in Sanctam & ſpiritualem Ieroſolymam, quæ non
Revel. 21. opus habet Sole, neque Luna, ut in ea luceat, gloria enim
Dei eam illuſtrat: & agnus lux eſt, cui laus & gloria in æ-
ternum.

2. Cor. 13. 14. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & dilectio Dei, & Societas Spiritus Sancti ſit cum vobis omnibus,*

AMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE